

ipse merueris. Nunquam tibi displiceat humilitas, per quam placere cœpisti, et sine qua displicere incipies, quantiscunq̄e pollere virtutibus, quantiscunq̄e patri officiosus deservire videaris. Humilitas siquidem omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa fere omnium radix, et seminarium, et fomes, et incentivum, et ipsa

IN FESTO SANCTI BENEDICTI.

969 SERMO I.

De mansione in sapientia.

1. *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in iustitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumsp̄ctionem Dei!* (Eccli. xiv, 22.) Quam congrue verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facile quis vestrum intelligit, cui tamen vita et doctrina ipsius non ignota sit. Quam commode vero ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit, quæ scilicet illa quibus nihil est utilius in vita, sapientiam, justitiam, timorem Dei, cum præmio etiam beatitudinis commendat. *Beatus*, inquit, *vir qui in sapientia morabitur*. Prorsus hæc est beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, ut perseveranter eam teneas: non enim statim qui invenerit, sed qui tenuerit eam, beatus. Dicit quidem Scriptura: *Beatus qui invenit sapientiam*. Sed non ibi quievit, imo addidit, *et qui affluit sapientia* (Prov. iii, 13); ne videlicet solum invenisse statim putaretur ad beatitudinem sufficere, nisi, cum inveneris, cum ea et in ea demoreris, et contubernio atque convivio ipsius delecteris; nec discedas a magisterio ejus, donec meditando justitiam, cogitando circumsp̄ctionem Dei, affluere prudentia possit. Nam et Salomon sapientiam invenit; sed, quia prudentia minus affluxit, nec satis prudenter sibi circumsp̄xit, dum videlicet non caute sibi providit a mulieribus alienis, non modo sapientiam perdidit, sed usque ad ultimam idololatriæ insipientiam proruit (III Reg. xi). Sapientes quoque hujus mundi, qui invisibilia Dei, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt sapientiam invenisse visi sunt; sed, quia nec ipsi prudentia affluerunt, et, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, stulti et ipsi facti sunt, et obscuratum est insipiens cor eorum usque ad reprobum sensum, et ignominiam turpitudinum (Rom. i, 21-32).

2. Alios itaque, sicut istorum exemplo liquet, repellit a sapientia quam invenerant, superbia cordis; alios, sicut in Salomone patet, abstrahit illecebra carnis; alii autem levitate et inconstantia mentis, levi perturbatione offensi eam relinquunt, qui scilicet ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quare autem recedunt? Quia radices non habent, quibus teneantur? (Luc. viii, 13, 14.) Quomodo autem radicari poterunt, nisi moventur? Quæ unquam planta radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic justus plantatus in

A cumulus et fastigium, custodia et disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conservantur. Cumque omnibus ut virtutes sint tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat.

domo Domini, nec radicari nec fundari in charitate poterit, nisi mora et stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat, afferre poterit; et, si florere visus fuerit alicujus spei initio, dicitur de illo: *Ante messem totus floruit, et immatura perfectio germinavit* (Isai. xviii, 5); et secundum alium prophetam: *Si fecerit fructum, alieni comedent eum* (Osee, viii, 7). Vis autem scire quam sit necessaria stabilitas loci ut in sapientia moreris, ut radicari et fructificare possis mora temporis? Interroga Patrem tuum Benedictum, et annuntiabit tibi quia claustrum monasterii, et stabilitas in congregatione, locus idoneus sit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem textit catalogum (Reg. S. Bened. cap. 4). Quid enim de instabili Salomon ait? *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum* (Prov. xxvii, 8). Invenerat turtur nidum ubi poneret pullos suos, cœperat eum calefacere et ab eo calefieri, venerant usque ad partum pulli, et ecce avolat, opusque cœptum imperfectum relinquit. Quare, unde, vel quo avolet, ipse viderit, vel quando tot dispendia, quæ interim patitur, compensabit, vel qua ratione primam fidem irritam factam excusabit. Ego enim non putarem esse consilii, pro spe incerta, certa subire dispendia; etsi profectus quorundam tunc jubeat interim a præcipitatione cohibere sententiam.

3. Enimvero multum dissimilis est causa eorum qui amore sapientiæ inquieti fiunt, et eorum de quibus loqui cœperam, qui levi et frivola permoti causa a sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, ut discat sapientiam; sic qui facile perdunt sustententiam, non demorabuntur, ut scriptum est. *projicere* 970 *illam*. Quid autem eos offendat, præmisit Scriptura, cum ait: *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis* (Eccli. vi, 22). Offenderunt in lapidem offensionis et petram scandali, cujus probata virtus corripiebat et erudiebat insipientes, probabatque mentes; cum ipsi virtutem sapientiæ duritiam lapidis interpretarentur, duraque omnia, disciplinam, vultum, sermonem causarentur. *Durus est*, inquit, *hic sermo* (Joan. vi, 61). Esto, sermo durus est; numquid non verus est? Lapis durus est; numquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis quam vanitas mendacii vel oleum adulationis placeret. *Durus*

est, aiebant, *hic sermo*, quia quasi lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ; ideoque non sunt demorati eam projicere, et retro abire. Nec ob aliud pretiosum et electum a Deo lapidem reprobaverunt, nisi quia durum putaverunt. Et erat quidem petra Christus, sed virtute, non duritia. Erat petra, sed quæ converti posset, imo et conversa est in stagna vel fontes aquarum, ubi mollia et humilia, quibus influeret, invenit corda fidelium. Nam et isti, qui tam cito offensi quadam specie duritiæ retro abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan et ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ vivæ de petra percussa in cruce fluentis largissime, ita ut hodieque bibat populus et jumenta; imo suxissent etiam mel de petra, olumque de saxo durissimo.

4. Prorsus tu beatus es, Simon Bar-Jona, tibi jam revelabat Pater pietatem mysterii, lateantem, ut videbatur, sub duritiâ sermonis, qui, interrogatis duodecim, an et ipsi vellent abire, constanter respondisti: *Domine, verba vitæ æternæ habes; ad quem ibimus?* (Joan. vi, 69.) Plane beatus, qui cum sapientia morari, et cum domesticis ejus ad mensam ipsius pane interim Sacramenti nutriri delegisti; donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ et intellectus te cibaret, et aqua sapientiæ salutaris potaret. Beati et vos, fratres mei, qui in disciplinam sapientiæ, et christianæ scholæ philosophiæ nomina dedistis, sed, si perseveranter in sapientia moremini; ut cum durior sermo ipsius visus fuerit, duriora scilicet præcipientis aut durius corripientis, non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sed constanter dicatis cum Apostolo: *Verba vitæ æternæ habes; ad quem ibimus?* Fingis quidem laborem in præcepto (Psal. xciii, 20), duritiam in sermone; sed scimus quia magna est multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (Psal. xxx, 20), perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiamsi occideris me. Imo tunc amplius sperabo, cum flagellaveris, secureris, usseris, occideris quidquid vivebat in me; ut non ego, sed Christus vivat in me. Omnino non discedimus a te, quia vivificabis non etiam occidens, sanabis percutiens. Vere beatus qui cum sapientia moratur, ac constantia et fide longanimiter patiens et fideliter obediens usque ad mortem, nec deserens locum suum, quotiescunque spiritus potestatem habentis ascendi super eum, sciens quia curatio disciplinæ faciet cessare maxima peccata (Eccl. x, 4).

5. Sane ad hanc sapientiam morandi in sapientia, illud præcipue pertinere arbitror, ut inquietudo vel quælibet levis molestia non facile quodcumque opus sapientiæ nobis excutiat, verbi gratia, solemnem psalmodiam, orationem, lectionem divinam, pensum operis diurni, aut silentii disciplinam. Quia enim sapientia in exitu canitur: *Gaudebunt*, ait sanctus, *labia mea, cum cantavero tibi* (Psal. lxx, 23), dum etiam ad litteram, *exitus*

A *matutini et vespere delectabis* (Psal. lxxiv, 9). De oratione quoque certum et ipsi quotidie capitis experimentum, quod melior est finis orationis quam principium; ut fidele probetis dominicum illud toties inculcatum, tot exemplis commendatum de orationis perseverantia consilium. Jam legere et negligere, vel, antequam ceperis librum, de manibus projicere, quem fructum, putas, tibi poterit parere? Si Scripturæ immoratus non fueris, ut assiduitate studii ei fias familiaris, quando, putas, se tibi revelabit? *Qui habet*, inquit, *amorem verbi, dabitur ei intellectus, et abundabit; qui vero non habet, et quod habet per naturam, auferetur ab eo* (Matth. xiii, 12; xxv, 29) propter negliigentiam. De opere autem manuum, nonne et de isto satis comperistis quia sicut denarius operariis, sic consolatio sæpius servatur in fine operis? De silentio quippe nota est promissio prophetica, quia *in silentio et spe erit, inquit, fortitudo vestra* (Isai. xxx, 15). Si enim cellas justitiam in silentio, et, sicut Jeremias bonum esse ait, præstoleris cum silentio salutare Domini; in medio silentio secretus tibi illabetur a regalibus sedibus omnipotens sermo, et aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio, convallem quieti ac placidi pectoris grato rigabunt profluvio. Hoc non semel, sed sæpius experieris, si modo silentium tuum cultus justitiæ sit (Isai. xxxii, 17), id est, si in justitia mediteris, ut perseveres in Scriptura quam proposui, et in sensu cogites circumsp̄ctionem Dei.

6. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus fiat. Si enim iniquitatem mediteris in cubili tuo, malitias scilicet quas malignus immittit, aut phantasias quas cor tuum parturit, aut inanes philosophias, seu fallaces theorias, quæ sunt velut ægri somnia; nonne magis injustitiæ quam justitiæ cultus erit silentium tuum? Si ergo vis in sapientia morari, stude in justitia meditari. *Concupisti*, inquit, *sapientiam? conserva justitiam, et Dominus præbebit illam tibi* (Eccl. i, 33). Si autem quasi violente irruant cogitationes noxiæ, pone tibi virilem et fidelem custodiam, quæ omni custodia servet cor tuum. Dico autem timorem Dei, qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpius interrogans etiam angelum lucis: *Noster es, an adversariorum* (Josue v, 13.) Undique enim sibi circumspicit, tanquam omni hora cogitans circumsp̄ctionem Dei, quem sine intermissione intueri ac judicare corda filiorum hominum attenuit. Pulchre autem dictum est: *In sensu cogitabit* (Eccli. xiv, 22); quia prorsus sine sensu est et a corde excessit qui timorem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ majestatis ac judicii sibi incumbentis non sentit. Signanter quoque circumspicere Deus dicitur, quia omnia tam præterita quam futura habet presentia, ut nec ista respiciat, nec illa prospiciat, sed similiter, quia simpliciter, cuncta circumspiciat; sitque illa æternitas velut punctum, omnium media temporalium, cujus immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus et rota tempo-

rum. Hunc oculum æternum, sine intermissione videntem et iudicantem omnia, semper cogitat, suaque se cogitatione sollicitat timor Domini, qui revocat a malis non solum operibus, sed et cogitationibus; erudiens nos, ut iustitiam potius meditemur, continens, ut cum sapientia moremur. Ita enim sensim fit ut qui primo coercetur timore iudicii et pœnæ, postea pascatur amore ac meditatione iustitiæ, demumque requiescat ac delectetur in convietu et amplexu sapientiæ. Hæc non modo foras mittit timorem diffundendo charitatem; sed etiam pellit ab animo tædium et languorem, infundendo suavitatem, sicut quidam, contubernium habens ipsius, de ea loquebatur: *Intrans in domum meam conquiescam cum illa non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiâ et gaudium* (Sap. viii, 16). Horum participes non faciat, qui particeps nostri fieri dignatus est Dei sapientia Christus Jesus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De fiducia in Deum.

1. *Benedictus vir qui confidit in Domino* (Jerem. xvii, 7). Sanctus Pater noster gratia Benedictus et nomine, cuius memoria in benedictione est, ipse profecto fuit benedictus vir qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus prævenit in benedictionibus dulcedinis cum in Domino confideret, jam benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, quia in Domino confisus est. Nec solum in cœlestibus benedictionem omnium angelorum, sed etiam in terrestribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Ubi enim gentium non benedicetur hodie benedictus Domini Benedictus? Plane benedictio Domini super caput iusti (Prov. x, 6), quem tot benedictionibus cœli et terræ gratia Dei cumulavit. Non tamen, sicut Esau, in pinguedine terræ et in rore cœli benedictio eius (Gen. xxvii, 28); sed in pinguedine spiritus et in rore cœli, qui per prophetam loquitur: *Ero quasi ros* (Osee. xiv, 6), et cui dicitur: *Ros lucis, ros tuus* (Isai. xxvi, 19). In Christo utique benedictio Patris, cui Pater imprecatus est: *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (Gen. xxvii, 29). Merito proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo se ipsum figit. Ubi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radices misit, qui, ut verbis utar Benedicti magistri, spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitæ totius benedictionis et gratiæ bibit (Reg. S. Bened. cap. 4).

2. Per hanc nempe piam et fidelem fiduciam remittuntur peccata; sanitatum corporalium, sed magis spiritualium, obtinentur remedia; propulsantur pericula, terrores contemnuntur; vincitur

mundus; omnia denique possibilia credenti redduntur. Illi quippe qui in peccatis erat: *Confide, ait, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Illis quibus donabatur sanitas corporum vel animarum: *Secundum fidem tuam fiat tibi*; et: *Fides tuate salvum fecit* (Matth. ix, 2, 29, 22). Illis, qui periculo terrebantur naufragandi: *Habete, inquit, fidem Dei* (Marc. xi, 22); et: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* (Matth. viii, 26.) Illis quos armabat adversus sævitiam mundi furoresque diaboli: *Confidite, ait; ego vici mundum* (Joan. xvi, 33). Et utique hæc est victoria quæ vincit mundum, *fides nostra* (I Joan. v, 4), si modo non sit tepida, non trepida; sed sit fiducia, id est fides non ficta, seu spes non infirma. Non solum autem mundus per eam vincitur, sed et cœlum possidetur, super æternitatem homo stabilitur, et in Deo ipso per charitatem radicatur et fundatur. Qui enim confidit in Domino, est sicut mons Sion; non commovebitur in æternum, qui fundatus est super Æternum (Psal. cxxiv, 1). Tam enim perire non potest, quam nec ille cui adhærens unus cum ipso spiritus est. Quis enim speravit in Domino, et confusus est, permansit in mandatis illius, et derelictus est? (Eccli. ii, 14, 12.) Si dixerit infidelis, Ille derelictus erat qui in cruce clamabat: *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* (Matth. xxvii, 46.) puto quia non usquequaque dereliquit, in quo erat mundum reconcilians sibi. O quanta consolatio, sic desolari; quanta dilectio, sic derelinqui, ut Unico Patris unice dilecto merearis vel in passionibus consociari!

3. Aperi, Domine, oculos hujus pueri, rudem loquor et novitium, cui, cum tribulatur, putat se derelictum. Novum hoc omnino et insolitum, si justum quempiam viderem derelictum, cum Ecclesia dicat: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum* (Psal. xxxvi, 25). Aperi, inquam, o Domine, oculos pueri tui, ut videat quia plures nobiscum sunt quam cum adversariis. Siquidem Dominus virtutum nobiscum, et cum eo omnis virtus et militia cœli, imo favor omnis creaturæ, servientis nutui et arbitrio Creatoris sui. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? (Rom. viii, 31.) et quis est quid nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus? (I Petr. iii, 13.) Poterit invidus ille sævire; sed hoc erit servire. Poterit urere; tundere, dissecare; sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te, Domine, fortitudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, et illuditur ab angelis tuis, in ministerium nostrum missis, antiqui draconis astutia, ut, volens nocere, prosit. Diligam te, Domine, propugnator potens, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum proicio omnem sollicitudinem meam, cuius nec potentia vinci, nec sapientia falli, nec benevolentia potest fatigari quominus expleat omnem indigentiam meam. Quam satius, quam securus est ipsum esse sollicitum, quam me ipsum pro me! quam bonum est confidere

in Domino, quam in homine! quam jure maledictus qui confidit in homine, carnem ponit brachium suum, et recedit a Domino cor ejus! (Jerem. xvii, 5.) et quidem egenus et pauper ego sum; sed si Dominus sollicitus est mei, dives sum, beatus sum; cui nimirum omnia cooperantur in bonum. Sperent igitur in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis sperantes in te, Domine (Psal. ix, 14); sedeatque populus tuus, sicut scriptum est, *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, in requie opulenta, in securitate sempiterna* (Isai. xxxii, 18, 17). Omnino pulchra pax et securitas sempiterna, habitare in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorari. Prorsus requies opulenta, sedere feriatum sub vite vera, ficu et oliva; et post saturitatem variorum fructuum, se ipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere: *Sub umbra illius quam desiderabam* [Vulg. quem desideraveram] *sedi, et fructus illius dulcis gutturi meo?* (Cant. ii, 5). Plane dulcis gutturi fructus de ejus gustu tam dulcis erumpit ructus.

4. Hæc sunt ergo tabernacula fiducia, in quibus verus Israel habitat confidenter, pascit et cubat, et non est qui exterreat; et, sicut Sapientia promittit, *Requiescet absque terrore, abundantia profuerit, malorum timore sublato* (Prov. i, 33). Et bene *timore malorum sublato*, non timore Domini; ne fiducia ista et securitate, quam commendamus, negligentiam putes generari, cum non in alio quam in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe, dum cavet offensam, custodit gratiam, locumque servat fiducia, quando tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit ut non nisi caste timeas eum; præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona fiduciam istam præsumit, suadet corda nostra esse in conspectu Judicis æterni. Quis enim bene sibi de illo promittat, a quo se minime diligi intelligat? Qui autem diligit, nunquam diffidit, sciens quia is quem corda non fallunt, diligentes se diligit, etiam cum arguit et corripit. Siquidem eruditus corde in sapientia non aufert, sed auget fiduciam. Patris disciplina, scientes scriptum, *Beatus qui corripitur a Domino* (Job v, 17), et: *Ego quos amo arguo et castigo* (Apoc. iii, 19; Prov. iii, 12). Cum igitur exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo (Psal. ii, 13), quos scilicet amoris proprii conscientia consolatur, quia, cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur; et, cum dixerint: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, statim subsequenter: *Conversus est furor tuus, et consolatus es me* (Isa. xii, 1), eo quod non nisi in brevi exarserit ira ejus, quam tam cito placaverit confessio reatus.

5. Merito igitur benedictum virum qui confidit in Domino ligno comparat Jeremias quod transplantatur super aquas: quod quia ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit cum venerit æstus iræ et tribulationis; sed et in tempore

siccitatis, cum multo tempore cœlum clausum fuerit, nec ros nec pluvia gratiæ super eum descenderit, non erit tamen sollicitum, quasi Deus eum projecit (Jerem. xvii, 7, 8). Sentit quippe se plantatum fide, radicatum charitate super aquas vitæ, quæ, secundum Ezechielem, de sanctuario egredientes vivificant omnia, et habent in utraque ripa omne lignum pomiferum, cuius folium non defluit, nec fructus deficit (Ezech. xlvii, 3-12). Cur igitur lignum illud benedictum aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viva, id est Spiritus sancti gratia, vitalem in occulto succum spei et charitatis subministrare non desinit; unde et folium sit viride, id est Verbum plenum gratiæ et veritatis; et ipsum non desinat aliquando facere fructum quodcumque opus pietatis? Et grata quidem illa verna temperies, pacis et lætitiæ; desiderabilis illa pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ; sed, si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quæcumque prophetavit Jeremias de sermonibus siccitatis spiritualis; non tamen timebit, quem fiducia Domini radicavit super aquam refectionis (Jerem. xvii, 6, 8), id est gratiam Spiritus sancti; quæ etsi manifeste non pluat, ut sensibiliter influat, occulte tamen interiori vivificat et fecundat; quando videlicet fidem propositi conservat, ad perseverandum confortat, verbumque irreprehensibile et opus stabile subministrat.

6. In hujusmodi vestra, fratres, sit consolatio, quoties alias consolationes non modo carnales, sed et spirituales subtraxerit vobis non negligentia vestra, sed dispensatio divina. Et fortasse quidem illa, quam diximus, occulta gratia Spiritus irriguum est inferius, quo nimirum Axa non vult esse contenta, nisi adjiciatur ei et irriguum superius (Josue xv, 19); ut scilicet de excelso effundatur Spiritus, rorent cœli desuper, et nubes angelicæ pluant justum, justificans Dei verbum, loquens ad cor Jerusalem. Et bene illud irriguum inferius, quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatem; hoc autem superius, quod sese desuper effundens, spe et exultatione attollit mentem. Si ergo et vos, fratres, ad illud suspiratis superius irriguum, laudabile quidem desiderium; si tamen nondum attingitis, mittite radices interim ad humorem, salubre remedium. Qui igitur non prævalet capere lætitiâ contemplatiæ, meditetur iustitiam vitæ activæ. Inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemque vitæ statum informet, quatenus in ipso nec marcescat aut defluat folium, id est verbum leviter aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita desinat facere fructum. Benedictum lignum, cuius folium ad medicinam, fructus ad vitam; id est, cuius sermo gratiam parit audienti, et opus vitam facienti.

7. Ad hoc profecto vos, fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo sæcularis plantaverat in terra inaquosa, in terra salsuginis, divina generatio vel mutatio dexteræ Excelsi transplantavit super

aquas refectionis; ut quibus prius propter sterilitatem parabatur securis et ignis, nunc plantati in domo Domini, in atris domus Dei nostri, floreatis, et fructum faciatis, et fructus vester maneat. An non aquae refectionis Scripturae Spiritus sancti, in quibus meditamur die ac nocte? an non aquae refectionis, lacrymae compunctionis, quae nobis factae sunt panes die ac nocte? an non aquae refectionis, Sacramenta et subsidia nostrae salutis, quibus pascimur et potamur in altari? In his siquidem omnibus, quasi quibusdam rivulis, fons sapientiae qui oritur in medio paradisi, derivatur foris, et in plateis aquas suas dividit. *Ego*, inquit Sapientia, quasi aqueductus exivi de paradiso. *Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, inebriabo partus mei fructum* (Eccli. xxiv, 41, 42). Ecce, ut colligere potestis ex ipsius ore Sapientiae parientis et plantantis, hortus plantationum est congregatio filiorum. *Numquid enim ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?* (Isai. lxvi, 9.) Ipse parit, cum ingenerat voluntatem bonam; plantat, cum instituit vitam; rigat, cum sensibus infundit gratiam; colit, cum moribus adhibet disciplinam. *Audite me, divini fructus, et quasi ros plantata super rivos aquarum fructificate* (Eccli. xxxix, 27). Mittite radices ad humorem vitae, id est ad amorem terrae viventium, non hujus in qua omnia senescunt et putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in caelestibus radicem figat, ut quae sursum sunt, non quae super terram, quaerant et sapiant. Quod enim physici dicunt hominem esse arborem inversam, eo quod nervi corporis radicem et initium in vertice habeant, ego illo potius sensu interpretor, quod radicem amoris et desiderii figere debeat in caelo, in summo vertice rerum capite nostro Jesu Christo. Qui illuc radices miserit, et de illo fonte aeterno succum vitae et gratiae jugiter biberit, non timebit cum venerit aëstus iudicii; sed afferens et offerens fructum quem fecit plurimum, id remunerationis accipiet ut floreat in aeternum ante Dominum, cui est honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO III.

De amicitia Dei praë omnibus quaerenda.

1. *Dilectus a Deo et hominibus* (Eccli. xlv, 1). Paucis expressit bonum ac beatum virum, qualem nimirum constat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis, inquam, comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiae et virtutis, simulque beatitudinem vitae perennis, et consolationem praesentis. Quid enim deesse potest ad aeternam felicitatem illi qui a Deo diligitur? quid ad praesentem consolationem, illi qui ab hominibus diligitur? Illi nempe qui a Deo diligitur, etsi aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi ut nihil ei desit, et suo, ut putatur, defectu perfectior sit. *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Paule, ait Dominus, *sufficit tibi gratia mea* (II Cor. xii, 9). Cui gratia Dei sufficit, sine damno gravi, imo cum lucro non mediocri aliquid gratiae deficit, quandoquidem ipse defectus et infirmitas

A virtutem perficit; et imminutio cuiusdam gratiae, summam omnium gratiam Dei ampliore ei et stabilior efficit. Longe fac, Domine, a servis tuis gratiam illam, quaecumque sit, quae adimere aut imminuere gratiam tui possit; unde videlicet aliquis, gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis tuis. Non est illa gratia, sed ira, illis plane quibus iratus es dari digna; quibus propter dolos posuisti talia, dejiciens eos dum allevantur, et elidens valide, dum super ventum ponuntur. Ut igitur illa sola gratia, sine qua nullus a te diligitur, salva nobis maneat, omnem aliam gratiam tuo nobis gratia subrahatur, aut certe gratiam utendi simul conferat; quatenus habentes gratiam, per quam serviamus placentes cum metu et reverentia, de gratia muneris gratiam promereamur remuneratoris; et quanto quis fuerit gratiosior, tanto tibi fiat gratior.

2. Sane mirabili arte, sed mirabiliori charitate, prudens clementia clemensque prudentia Dei, saluti consuluit humanam, ut, cum cunctos diligit, non tamen facile de dilectione sua certos aut securos esse sinat; nec ob aliud magnam multitudinem dulcedinis suae timentibus se abscondat, nisi ut, dum semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sunt enim iusti et sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta (Eccli. ix, 1, 2). Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum et operum, ut ex quibusdam quae concedit, consolationem quod digni sint amore tribuat; ex quibusdam quae subtrahit, suspicionem ac metum quod odio digni sint injiciat. Consolatur, cum diluculo visitat; terret, cum subito probat. Nunc mortificat, nunc vivificat; nunc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit et ditat, nunc humiliat et sublevat (I Reg. ii, 6, 7). Et in tanta vicissitudinem varietate tanto certius salutem nostram operatur, quanto nos incertiores de ea, cum majore metu ac tremore ei cooperamur. Ait quidem Paulus: *Certus sum quia nihil me separabit a charitate Dei* (Rom. viii, 38, 39). Sed vere Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurum servari expedit incerta. Paulus, inquam, hic erat qui hoc dicebat, cui nimirum et illud dicere competeat: *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (Galat. ii, 20), qui scilicet ita totus in quemdam divinum conversus erat affectum, ut adhaerens Domino unus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum, qui ita modo certus erat, alias trepidum ac sollicitum, et castigantem corpus suum, ne forte, cum aliis praedicaverit, ipse reprobis efficiatur (I Cor. ix, 27): vide etiam colaphizari a Satana (II Cor. xii, 7), ne forte extollatur. In ipso itaque Paulo jam tibi est videre quomodo omnis certitudo quae ad horam confortatur et convalescit de spiritus consolatione, item infirmatur et evanescit superveniente tentatione. Ego igitur miser et ipsa indignus via, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore praesumam,

eni omnia et interiora et exteriora manifestum odium denuntiant; ejus vita, non tentatio, non militia est adversus peccatum, sed ultronea servitus peccati; qui tam mente quam carne servio legi peccati; qui cum prudentia carnis et amicitia mundi, quae ambae inimicae sunt Deo, foedus miserum pepigisse videor, plane foedus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, scio qui dixit: *Delebitur foedus vestrum cum morte, et pactum cum inferno non stabit* (Isai, xxviii, 18); quia nimirum inimicis Dei nil amicum esse poterit, et non mortem aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad ultionem inimicorum zelus armabit. Quam beatus in die illo quicumque erit ille dilectus a Deo! quam laudabiles quibus tunc laus erit a Deo, quibus dicet evidenti rerum argumento: *Vos amici mei estis, eo quod feceritis quae praecipui vobis!* (Joan. xv, 14). Et haec quidem prima virtus, istud optimum gratiae munus, praecipuus vitae fructus: quia beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitia promereri; quo propitio poterit homini aliquis inimicari, sed nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei (Psal. lxxxviii, 23).

3. Jam vero si post hanc et per hanc summam omnium causamque bonorum, gratiam etiam illam promerearis, ut, dilectus a Deo, etiam dilectus sis ab hominibus, quae consolatio est illa in miseris hujus vitae, quae requies, quod gaudium, quae deliciae; praesertim si didiceris favore gratiae humanae non evanescere, sed exardescere ad diligendum Deum amplius, propter quem diligaris ab hominibus? Alioquin nempe si aliunde oriatur, vel alio referatur, quid est favor humanus, nisi ventus urens, **976** aura corrumpens vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerasites in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro? Vir quippe vanus erigitur in superbiam, et vanitate sensus sui, velut equo praecipiti, fertur in ruinam. Hujusmodi nimirum serpens vulnerat et subvertit vestigia, dum, veluti blandiens capiti, tenera illius facit laudari primordia. Haud secus, nisi fallor, contingit homini qui, antequam diligere sciat diligi nimie affectat, et, antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quaerit; facit divitias non cum iudicio, in medio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens, cum omnes amici ejus spreverint eum, pro quibus sprevit ipse Deum. Tunc fiet sermo qui scriptus est: *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* (Psal. lxxviii, 6).

4. Primo itaque omnium illa, quae prima et finis est omnium, quaerenda est dilectio Dei, ejus merito digni simus etiam ab hominibus diligi; et cujus studio docti simus, dilectione hominum qualiter nos oporteat uti. Cum autem rem in tuto locaveris; ita scilicet firmato affectu mentis ut non nisi in Deo et propter Deum diligi velis: tunc omnino volo ut

A dulcedo morum tuorum, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnem te commendat conscientiam hominum, ut ultro rapias affectus omnium, testimonio praediceis omnium; quatenus ipsa religio, quae te commendat, justa vicissitudine per te commendabilis fiat. Sic in te quoque filio adoptivo, Unigeniti complebitur oratio: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. xvii, 1); dum videntes claritatem operum tuorum glorificabunt Patrem tuum. Neque id dicimus, quod inter dilectionem Dei et dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamvis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio et illam oportet observare, et istam non negligere; quando nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo vere potest diligi; quamvis ordinata affectio ignorare non possit quae de duabus dilectionibus praeponderet alteri, quae debeat alteri formam et modum praescribere, finemque praefigere. Sed hoc dicimus, quod aliud est amari, aliud amari studere. Quod profecto studium sicut periculose assumitur ab illis qui plus vanitate quam charitate blandi sunt, sic periculose negligitur ab his qui plus superbia quam sapientia austeri sunt. Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter utrumque vitium, illius scilicet vanae amicitiae, et superbae severitatis, mediam tenere potuit regalem viam veritatis; id est ut, vera charitate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per tumorem dedignetur.

5. Illa tamen est vis et natura veri amoris, ut, etiam cum non affectat, tamen efficiat se reamari: quoniam veritas, etiam sine alieno, suffragio facile se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignae mentis obsistat nequitia, quae parata est sinistre interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum quidam proprium donum habent ex Deo; qui exhilarans facies eorum in oleo, perfudit eos quodam placore ac nitore gratioso, omnia tam facta quam dicta ipsorum gratificans in oculis omnium; cum multi qui forsitan non minus, imo et amplius amant, non facile eandem gratiam inveniant. Ad omnes autem pertinet ut, providentes bona non solum coram Deo sed etiam coram hominibus (Rom. xii, 17 et II Cor. vii, 21), nec conscientiam negligant amore famae, nec famam fiducia conscientiae. Nam et de ipsa conscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres; imo, nisi te fratrem inter fratres in omni conversatione tua demonstras? Putas enim satis esse, si non scandalizas? Imo scandalizas, si non aedificas; si non, testimonium habens bonum intus et foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum ubique glorificas. Sane malis, quibus non placet nisi malum, quibus justus gravis est etiam ad videndum, si illis placere te non sinit, non tua negligentia (cum omnes etiam inimicos diligas), sed ipsorum nequitia, qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua; consolatur te qui ait, *Beati eritis cum vos oderint homines* (Luc.